...ki przyjr. N° 1000.

...annis: Quaestio de accione Coeli in haec inferiora.

QVÆSTIO
DE ACTIONE COELI in hæc inferiora.

A

M. JOANNE BANDORKOWIC
in alma Academia Cracouienſi ad diſputandum publicè propoſita.

In Menſe Martio, Die 23 Hora 14
Anno Domini, M. DC. XXI.

Permiſsu M. D. Rectoris.

CRACOVIÆ,
Ex officina Typographica Franciſci Ceſarij.

h.

CANDIDE ET FORTITER.



Quantus ſis monſtrat, Lubinski, quid valeasq́
Hoc pacis, belli & relligionis opus.

Illustrissimo & Reuerendissimo D.

D. STANISLAO ŁVBINSKI, ABBATI TINECENSI, &c.&c. DOMINO & PAtrono suo Clementissimo.

M. Joannes Bandorkowic S. & F.

PRISCOS ROMANOS TOTIVS Olim orbis Dominos, post vrbem conditam nullam de ambitu legem fecisse multorum literis proditum est Reuerendiss. Domine, eò quod in dandis Magistratibus & conferendis honoribus, omnes non largitionibus, sed vera virtute nitebantur. Quod verò olim in Romana repub. hoc etiam in nostro Academico ordine religiosè seruatur, scilicet, quod hîc in cōferēdis honoribus, omnibus virtute, labore & sciētia nitendū esset. His tribus quemuis commendatum esse oportet, qui ordini Academico adscribi contendit. Ac contendunt quidem multi, nihil quod pulchrum, quod honestū sit ab ignauia produci existimantes, laborumq; plena esse omnia certò sibi persuadentes. Mihi verò illud quod de Diogene à Græcis proditum est in mentem dum venit (qui videns Corinthios ante susceptum bellum à Philippo Macedonum Rege, metu subitò perturbatos, ac de communi salute anxios, certatim in vrbis munitiones incumbere, mox pallio philosophico præcinctus dolium suum in quo tum forte latitabat sursum ac deorsum seriò volutare instituit) ne solus inter tot contendentes otiosus videar, verso quoq; dolium meum, hoc vnum toto pectore noctes diesq; cogitans ne me degenerem filium mater Academia esse putet, aut silentij crimi-

crimine plectendum esse censeat. Prodit nunc ex hoc quod verso dolio, Disputatio de actione cæli in hæc inferiora, vel eo consilio proposita quod non desint nonnulli, qui diuinationes Astrologicas omni laudum genere dignissimas, ignorantes quonam modo corpora cælestia in hunc mundum sublunarem agant, falsò criminari quotidie non desistunt. Ego autem qui hoc studij genus cum Philosophico iam ab aliquot annis sum complexus, atq; mirabili amore prosecutus, non possum non dolere vehementer, si quando mihi audire contingat quosdam esse, qui Astrologiam, vt falsam, inutilem, ac religioni nostræ contrariam temerè maledictis incessunt. Hanc igitur disputationem tibi Reuerendiss. Domine, cùm multis nominibus, tum vel quia disciplinarum omnium genere eruditus es, literatosq; omnes humanissimè complecteris, atq; infinitis propemodum patrociniis subleuas: vel quia Academiæ nostræ te Fautorem benignissimum omni in loco ostendis, offero ac dedico. Tu quicquid est (perpusillum autem perq; tenue est) munusculi, candido magnificoq; animo, quo soles ea omnia quamlibet parua sint quæ tibi à bonarum artium Professoribus offeruntur, complectere, complexum vna mecum velo patrocinij tege, totiq; Academiæ nostræ, quod iam facis, fauere perge. Vale felix & viue in Ecclesiæ Patriæq; ornamentum.

QVÆSTIO.

VTrum Corpora cælestia non solum motu, sed lumine etiam & peculiaribus aliis virtutibus, nostris sensibus occultis (quas Astrologi influentias vocant) à stellis in mortalem orbẽ effusis, per quas apta eas recipere facultate aliqua afficiuntur, efficienter & tanquam veræ causæ in hanc rerum inferiorum peripheriam agant, necne?

CONCLVSIO I.

Ad horum inferiorum mutationem necessarium est corpora cælestia motu suo in hunc mundum inferiorem agere.

COROLLARIA.

1. *Cessante motu cæli qui est causa reliquorum prima, cessarent omnes alij motus.*
2. *Deus, cùm sit omnium causarum princeps, concurrens cum causis secundis, ad actiones inferiorum, etiam à concursu cum cælis non est excludendus.*
3. *Ad vicissitudinem mutationum inferiorum, præter motum vniuersalem, iuxta quem tota ipsius moles, ab ortu in occasum celerrimè præcipitata spatio diur*

ni nocturniq; temporis super polis mundi plenè conuertitur; dantur aliæ particulares reuolutiones, iuxta quas cælo extimo subiecti orbes ab occasu in ortū, alii tardius, alii ocyus super polis Zodiaci incedere deprehenduntur: quas reuolutiones Aristoteles dicit fieri per circulum obliquum, nuncupatum Zodiacum temporum varietates secum afferentem.

4. Dato etiam asserto Philosophi, Primum motorem semper eodē modo agere, propterea quia illud quod immobile est eodem ac vno motu modoq; semper eodem moueat, cum nullo pacto mutetur ipsum ad id quod motu cietur; mediante tamen motu corporum cælestium, quæ diuersas partes, diuersa astra, ac diuersas influentias habent, ad causandam vicissitudinem rerum posse concurrere concedimus.

5. Quamvis corpora cælestia dum vniformiter mouentur dicant causam necessariam producendi res, tamen effectus potest esse contingens propter causam secundam contingentem. Causæ siquidem superiores modificantur ac determinantur per causas particulares iuxta modum ipsarum. Quare.

6. Productionem inferiorum à cælo pendere cum asserimus, nō tamen propriam causarum particularium efficientiam excludimus.

CON-

CONCLVSIO II.

Corpora cælestia præter motum, lumine etiam agunt in hæc inferiora.

COROLLARIA.

1. *Ad producendum calorem ſine cuius interuentu plurima inanimata ex animatis verò nulla effici queunt, cælum lumine tanquam inſtrumento vtitur.*
2. *Ex corporibus cæli Solem in Planetarum medio ſitum in modum fontis(vt pote à quo reliqua aſtra lumen accipiunt) maximam in procreandis rebus vim habere eſt certum.*
3. *Aſtris autem de ſolis lumine participantibus an lucis propriæ aliquid inſit? de Luna concedimus, de cæteris negamus.*
4. *In ſolaris luminis recepti à Luna variationem plurimæ reducuntur mutationes. Iam verò lumen in Mercurio & Venere Soli cum Luna ſubiectis, receptum non eſt neceſſe variari. Illos enim Planetas vndiquaqúe penetrat atque comprehendit, Lunam ob illius opacitatem nequaquam, ſed ea duntaxat parte, qua ſolem reſpicit, illuminat. Vnde pro vario Lunæ ad ſolem aſpectu modo corniculata ſeu falcata Græcè μηνοειδής: modo in medium orbem diſſe-*

cta,

cta, Græcè διχότομος: modo tumida & quasi gibbosa, Græcè ἀμφικύρτος: denique modo pleno orbe apparet, Græcè πανσέληνος.

5. *Cum duo sint in animalibus sexus, maris & fæminæ, Astrologi ex doctrina sui principis Ptolomæi, planetis iuxta singulorum vim sexum attribuentes, conuenienter ex diuerso planetarum respectu ad solem ceu luminis & caloris parentem omniumque in mundo inferiori causam primariam, sexus diuersitatem concludunt: Ita, vt Planetas dicant masculinos cum sunt Eoi, ac à sole in zodiaco contra signorum successionem facta numeratione distant minus sex signis: Econtra fæmineos, cum sunt vespertini, & à sole in zodiaco secundum signorum successionem facta numeratione distant minus sex signis.*

6. *Sol non eodem modo est causa generationis, & corruptionis: illius namq́ est positiua agens lumine & virtutem influens, huius est causa priuatiua.*

CONCLVSIO III.

In cælo non modo est ponendus motus & lumen sed peculiares aliæ virtutes nostris sensibus occultæ, influentiæ appellatæ, quibus apud res has inferiores varios effectus producit.

CO-

COROLLARIA.

1. *Cælum productionem in visceribus terræ varij generis metallorum, dictis qualitatibus occultis attingit.*
2. *Necesse est singulis Planetis proprias & peculiares inesse influentias, quas in hæc sublunaria exerant. Itaq; Ptolom. tribuit Saturno frigiditatem & siccitatem, Ioui temperiem, Marti ardorem, Soli calorem, Veneri temperiem, Mercurio calorem cum temperie, & Lunæ humiditatem.*
3. *Effectus inferiores reducuntur in cælum tanquam causam æquiuocam, in qua eminenter continentur.*
4. *Qualitates quas cælũ influit, quamuis omnes possint reduci ad influentiam, tamen manifestiùs quædã lumini & influentiæ simul vt calor & siccitas, quædam soli influentiæ vt humiditas & frigiditas imputãtur.*
5. *Cum cælum suo influxu agit, ex inferioribus quædam mediatè, quædam immediatè afficit.*
6. *Influentiarum natura cum lateat, non mirum si de multorum effectuum diuersitate non sit idem Astrologorum consensus.*

CONCLVSIO IV.

Cælum nulla causalitate in animam rationalem & voluntatem directè influit.

COROLLARIA.

1. *Aſtrologi, dum inſpiciunt genituram nati, poſſunt aliqua ratione illius temperamentum prænoſcere, ac etiam accidentia, quæ temperamentum ſequuntur, vtpote robur, imbecillitatem, inclinationem ad has vel illas ægritudines, ad certa ſtudiorum, actionum, morum & affectuum genera: at non actiones quæ frequenter aduerſus propenſiones fiunt, & ſemper in facultate hominis ſunt poſitæ.*

2. *Non eſt putandum à corporibus cæleſtibus tanquam cauſis vniuerſalibus directè omnia deriuari neceſſitate quadam inuiolabili (vt fruſtra vaniſſima præſumptione quidam garriunt) vt nulla alia vis, quin ita operentur obſiſtere valeat; cum ſæpenumero à libera hominis voluntate, educatione bona vel mala, aliisq́ de cauſis inclinationes aſtrorum impediantur.*

3. *Ac proinde neque homo neceſſitatur ab influentiis, ad hoc vel illud operandum; ob idq́ Aſtrologia iudiciaria non eſt deſpicienda dum ſolum vtitur influxibus per naturã operãtibus, quibus libertas humanarum actionũ nulla ex parte læditur & labefactatur.*

4. *Quod Aſtrologi aliquid præcognoſcant in iudicandis hominum moribus, & plerumq́ vera dicant, hoc inde prouenit, quia pauci ſunt homines, qui reſiſtant*

ſenſui,

sensui, multiq́ non quod ratio dictat sequuntur, sed feruntur in id, ad quod à corporis temperamento inclinantur.

5. *Eatenus cælum agit indirectè in intellectum, quatenus agit in id, ex quo aut iuuatur, aut impeditur actio intellectus. Porrò.*

6. *Actio intellectus iuuatur aut impeditur à dispositione vel in dispositione corporis. Nam indispositū corpus impedit intellectum, vt in phreneticis aut lethargicis accidit, bene autem dispositum corpus iuuat intellectum, & facit aptum ad benè intelligendum. Cùm autem talis dispositio subsit cælo, sequitur vt indirectè etiam possint agere in intellectum corpora cælestia.*

Conclusiones ex diuersis speciebus Matheseos.

EX ARITHMETICA.

Diuisio numeri in Parem & Imparem est perfecta. Numerum autem Parem dicimus eum qui sub eadem diuisione in duo maxima & in duo minima diuidi potest, secundum duorum generum Quantitatis contrarias affectiones: Imparē intelligimus qui sic diuidi non potest.

Ex numeris Paribus, ille qui dicitur Pariter par absolutissimam recipit diuisionem in duo minima æqualia: non item numerus Pariter impar, & Impariter par.

Præter diuisionem numeri Paris, in Pariter parem &c. danda est alia diuisio secundum quam diuiditur in Superfluum, Diminutum & Perfectum, ac ex his Perfectus non est de facili numerabilis.

Species proportionis numerorum maioris inæqualitatis non sunt plures quàm quinque. Scilicet: Multiplex, Superparticularis, Superpartiens, Multiplex superparticularis, Multiplex superpartiens. Ac totidem etiam sunt species minoris inæqualitatis.

Certum est omnem inæqualitatẽ ex æqualitate procedere; omnesq́ species supra nominatas certa quadam ratione ex æqualibus terminis generari, incipiẽdo à Multiplici tanquam prima radice reliquarum specierum.

Figuræ Geometricæ secundum omnes species Quantitatis continuæ habent magnam similitudinẽ cum numeris: vnde quemadmodum triplex est dimensio apud Geometras (vt mox dicetur) ita quoq́ & numeri sunt triplices, alij lineares, alij superficiales, alij solidi.

EX MVSICA.

Omnis consonantiarum ratio ex vi numerorũ dependet.

Tres

Tres sunt & nō plures perfectæ & simplices Harmoniæ, ad quas aliæ reducuntur. Diapente, quæ est in proportione sesquialtera. Diatesseron, quæ in sesqui tertia. Diapason, quæ in dupla.

Tonus non est perfecta consonantia, sed est pars & principium consonantiarum. sicut vnitas numeri.

Vox sensibiliter septies tantum mutatur.

Consonantia Diapason maior est consonantia Diapente: Diatesseron verò est omnium minima.

Tonus non potest in pares partes mediari: vnde consequenter duo semitonia, maius & minus, nō sunt æquales partes toni.

Diapason non dat sex tonos completos, neq; duplex Diatesseron quinque tonis concluditur.

Diapason cū Diapente manēt in tripla proportione

Inter Diatesseron & Diapason nulla datur consonantia, licet detur aliqua sonantia.

EX GEOMETRIA.

Genera mensurationum triplicia in vsu vt plurimū versantur, scilicet Altimetria, Planimetria, & Stereometria.

Generaliter omnium mensurationum, quæ absoluūtur per varia instrumenta, eadem sunt principia.

Altitudo quælibet mensuranda, seu spatium, vel profunditas, debet semper secundum lineas rectas imaginari. Ac ex his quidem lineis constituitur triangulus rectilineus orthogonius.

Secundum quantitatem duorum angulorum acutorũ trianguli, res maior vel minor per sensum cum iudicio rationis comprehenditur.

Propter euitandum errorem in comprehensione quantitatis, in quem incideremus si sola scientia Perspectiuæ uteremur, inuenta sunt instrumenta, quibus mediantibus quantitates rerum cum certitudine digno sci possunt. Talia sunt, Radius, Quadrans, Quadratus geometricus &c. Et hæc omnia ex solius trianguli Orthogonij natura tanquam magistri Geodetici sunt deducta.

EX ASTRONOMIA.

Ad saluanda varia phænomena in motibus Planetarum, oportet in orbibus cælestibus dari Eccentricos & Epiciclos, ex quibus orbes totales Planetarũ integrãtur.

Eccentrici & Epicicli præter motum diurnum (vt in quæstione dictum est) habent alios motus proprios.

Præter hoc, quod Planetarum aliqui velocius, aliqui tardius moueantur secundum motum proprium: stellæ in eodem

in eodem etiam orbe existentes aliquæ velocius, aliquæ tardius mouentur, ſecundum quod mouentur in circulis diuerſis.

EX PERSPECTIVA.

Tria ſunt neceſſaria ad viſionem: Potentia, Medium, & Obiectum viſibile.

Duo tantum ſunt propria viſibilia, lux ſcilicet & color, reliqua verò ſicut remotio, magnitudo, figura, ſitus, corporeitas, continuitas, ſeparatio, pulchritudo, deformitas, &c. non niſi per accidens ſunt viſibilia.

Tam lux quàm color illuminatus impreſſiuè in viſum operantur. Vnde non ſatis illi ſibi conſtant qui affirmant viſionem fieri per radios emicantes ab oculo.

Comprehenſio luminoſi vel illuminati fit per pyramidem radioſam in quocunq; puncto medij terminatã. Verum ipſa certitudo apprehenſionis fit per axẽ ſupra viſibile tranſportatam.

Fallaciæ omnes quæcunq; contingunt circa viſionem procedunt ex defectu eorum quæ requiruntur ad diſtinctam comprehenſionem rei viſibilis. Sunt autem ejusmodi requiſita: Lux ſeu lumen, Diſtantia ſeu remotio viſibilis, Facialis obiectio, Quãtitas proportionata, Medium diaphanum, Denſitas corporis viſibilis maior quã medij, Tempus, & Sanitas oculi ſeu diſpoſitio organi.

Sub felicibus auſpiciis Magnifici & Admodum Reuerendi Domini IACOBI TVROBOYSKI Sacræ Theol: Licent; Eccleſiarum Collegiatarũ S. Floriani Decani, SS. Omnium Præpoſiti, Vniuerſitatis Cracouienſis Generalis RECTORIS.